



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ethices Christianae, Libri Tres**

**Daneau, Lambert**

**Genevæ, 1579**

V. Clariss. Atqve Pietate Et Doctrina Praestantissimis, fideliss.  
vigilantissimisque Eccles. Tigurinæ Pastoribus, & eruditiss. celeberrimæ  
eiusdem inclytæ ciuitatis Academiæ Doctoribus, fratribus & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**



## V. CLARISS. AT-

QVE PIETATE ET DO-  
CTRINA PRAESTANTISSI-  
mis,fideliss.vigilantissimisque Eccles. Ti-  
gurine Pastoribus , & eruditiss.celeberrimi-  
mæ eiusdem inclytæ ciuitatis Academæ  
Doctoribus , fratribus & symmystis sibi  
plurimum obseruandis.

**C**VM multæ sunt,atque  
ex grauissimæ causæ, V.  
Præstantissimi , & mihi  
Patres , fratresque in  
Christo maximè obser-  
uandi, quamobrem hos  
meos de præceptis Ethicis commentarios  
vobis nuncupare iampridem apud me  
constitueram : tum vero inter cæteras hæ  
potissimum dux. Primum , quod ingratia  
atque illiberalis esse hominis iudicabam,  
vos, à quibus ista magnam partem acce-  
peram,huius laudis fructu,tanquam semi-  
nis vestri prouentu , malignè spoliare.

¶.ij.

E P I S T O L A .

Deinde, quod si noster hic labor vllis mor-  
talibus , imprimis autem piis hominibus  
utilis fortasse futurus est, sub vestro nomi-  
ne longè gratissimum atque iucundissi-  
mum fore videbam. Quamquam enim  
celeberrimam illam vestram & ciuitatem  
& Academiam inuisere (neque enim , ut  
est in veteri proverbio, cuius homini con-  
tingit adire Corinthum) nunquam mihi,  
etsi id summopere cupienti licuit, quod  
in Gallia procul à vobis dissit⁹ distinebar:  
tamen ea à vobis , vestrisque Doctoribus,  
tanquam communibus Ecclesiarum Dei  
præceptoribus , scripta in vulgus ædita  
sunt, quę non modò nostram Galliam, sed  
vniuersum ipsum Christianum orbem in  
vera pietate plurimū erudiuerunt. Me  
certè ab iis non tantùm vehementer ad-  
iutum , sed primùm edoctum , & postea  
confirmatum fuisse semper ingenuè ve-  
réque profitebor. Scio equidem huius rei,  
quemadmodum boni operis omnis, lau-  
dem vni Deo tribuendam esse ( neque e-  
tiam vos, vestriques Doctores , dum talia  
scribitis, aliò quam ad solam veri Dei glo-  
riam collimatis ) sed tamen Deus ipse ( qui  
honorandos esse parentes præcipit ) bene-  
ficiarum suorum instrumenta à se delecta-  
sperni

E P I S T O L A.

sperni aut negligi à nobis minimè vult: quin potius , vt illa agnoscantur , prædcentur, honoréque affiantur , seuerissimè mandauit. Quænam enim hæc esset, non dico , Christianitas , vel humanitas: sed immanitas potius, quæ homines ingratos redderet & barbaros: & eos, à quibus beneficium acceperis, contemnere doceret? Itaque cùm illam vestram Ecclesiam, & hanc nostram Gencuensem , tanquam duas fidei meæ in Christo parentes & alumnas semper habuerim: utriusque tantum me debere sentio , quantum ne totâ quidem vitâ satis, pro animi mei voto, verbis testari possum , nedum re ipsa reponere. Cur verò hunc meum laborem sub vestro nomine pios omnes & Christianos , quibus ipsa pietas cordi est, gratiorem atque acceptiorem habituros esse sperarim, hæc ratio est, quod & nūc sit, & fuerit semper meritò apud pias omnes Ecclesiæ summa vestrorum iudiciorum authoritas. Atque hanc et si plurimùm nobilissimæ ciuitatis vestræ vetustas, ac illius inter reliquas Helueticæ gentis vrbes princeps locus commendat: vobis tamen , vestreque Ecclesiæ eam conciliauit doctrinæ Christianæ puritas, veritásque à vobis non tantum citò

¶.iij.

E P I S T O L A .

præcepta, verūm etiam ad hunc usque diē  
constantissimè defensa , ac conseruata.  
Quantum enim hoc est, quod ab eo tem-  
pore, quo primū Dei doctrina inter vos  
recepta est , nullius hæresis labe contami-  
nata fuit Ecclesia vestra? Id est, quod penè  
iā per quinquaginta octo annos sana, syn-  
cera & illibata fidei Christianæ doctrina  
apud vos manet, cùm apud plerosque tā-  
ta iam veræ doctrinæ labefactatio sit fa-  
cta? Nam , vt taceam quām placidè dex-  
tréque exotica & verè peregrina peregri-  
norum quorundam ingenia semper re-  
presseritis , ne studiosis curiosiæ ipsorum  
& clāculariæ disputationes aliquo modo  
nocerent , & eas à simplicitate doctrinæ  
quasi aliud agentes abducerent: quāmque  
prudenter tandem detecta palam' ipso-  
rum hypocrisi & damnandos & expellen-  
dos meritò censueritis. Ut hęc, inquam,  
vigilantiæ & sollicitudinis tum vestræ,  
tum amplissimi Senatus non ita vetuita  
testimonia reticcam: quis saltem illa vetu-  
stiora retinendę puritatis , & profligati-  
onis omnis in doctrina corruptelę, studia  
vestra non commemoret? Quod scilicet  
erroris & Catabaptismi per Baltassarem  
Hebmerum , & Thomam Munzerum i-  
nitia

E P I S T O L A .

nitia apud vos à Satana sparsa, eodem ipso penè horæ momento magna fidelique tum Pastorum, tum etiam Magistratum vestrorum diligentia suffocata atque extincta sunt, quo apparuerant nata. Ergo hęc magna est vestre Ecclesię & Academię laus & autoritas. Sed & illa quoque non minor, & certè prior, quòd illucescente primū, & tantum non exoriēte in mediis errorum Papisticorum tenebris sacrosancto Domini nostri Iesu Christi Euangeliō, cùm plures & populi & ciuitates oblatam illam à Deo lucem vel omnino repudiarent, vel timidè suscipierent: vestra ciuitas vna inter omnes Helueticas forti intrepidoque animo Christum rediuium, sc̄eque vobis offerentem audiē amplexa est: atque etiam semel exceptum, tanquam hospitem gratissimum ( illo nimirum ipso corda hominum vestrorum sic flectente, & regente ) semper postea lubentissimè retinuit, fouit, illiusque regnum, quantum in ipsa fuit, constituit, & promouit. Nam etiam priusquam Lutheri nomen, ut vera huius rei historia testatur, apud Helvetios innotuisset, Dei verbum, & Euangeliū Iesu Christi in inclyta Tigu-

¶.iiij.

E P I S T O L A.

rinorum ciuitate aduersus Papatū, & omnis generis errores, verè, perspicue, & constanter iam prædicabatur: & cùm nobilissimæ tum Germaniæ, tum ipsius Helvetiæ ciuitates (quæ nunc Christum profertur) tenues solum tanti boni primitias degustarent, vestra pleno iam illius fructu fruebatur. Itaque præclarissimo illo suo exemplo cæteris ad idem faciendum, atque audendum ducem se præsttit, omnésque tum cohortando, tum suggerendo, quantum potuit, adiuuit. Ex quo euenit, ut plures Dei Ecclesiæ non tantum in Helvetia: sed etiam in aliis orbis partibus, veluti Gallia, Polonia, Anglia, Scotia nascerentur, atque plantarentur: inter quas omnes propterea summa vestræ, id est, Tigurinæ Ecclesiæ, tanquam communis omnium parentis extitit laus, veneratio, & authoritas. Atque Deus hanc ipsam tam alacrem, tamque propensam in regnum ipsius propagandum vestrorum hominum voluntatem, quam ipse dederat: non modò multis modis auxit, sed etiam ingenti beneficio cumulauit. Nam felicissimos tam præclaris cœptis & conatibus successus dedit: & inter vos eos viros excitauit, qui ingenti eruditio[n]is laude,

E P I S T O L A.

de , & summa pietatis commendatione  
faces Euangelicæ veritatis cæteris præfer-  
rent , totique mundo adeo prælucerent .  
Quos etsi Dominus magna sua benigni-  
tate , & singulari in inclytam Tigurino-  
rum ciuitatem amore , ad hanc nostram  
vſque ætatem continuauit , adhucque in-  
ter vos continuat , malo tamen de iis , qui  
iam vita functi in Domino quiescunt , &  
le quibus citra omnem adulandi suspi-  
cionem loqui possumus , quām de vobis  
ipſis , fratres obſeruandiss . propter pudo-  
rem vestrū , multorūque columnias ,  
istas laudes intelligi : quæ tamen & ad vos  
quoque , licet improbi rumpantur inui-  
dia , certè pertinent . Quantus vir , Deus  
immortalis , quāmque heroico pectore ,  
quām vehementi in Dei gloriam zelo fuit  
Huldricus ille Zuinglius , & parens in  
Christo omnium vestrū , & pro pietate ,  
& pro patria mactatus ? Quantus vir , obſe-  
cro , quāmque in omnibus veræ Theolo-  
giæ partibus cōſummatuſ , quām in omni  
optimarū artium genere exercitatus Hen-  
ricus ille Bullingerus , qui nobis vobisque  
magno totius Ecclesiæ detrimēto paucos  
ante annos ereptus est : vel potius ex mi-  
ſerrimis hisce terris fatur dierum , vt lo-

E P I S T O L A.

quitur Scriptura,& sacro verbi Dei Ministerio plus quàm quadraginta annos continuos functus in cœlum migravit, id est, à Domino in cœlum, sedémque beatorum traductus est? Quantus vir P. Martyr, ille penu omnis Theologiæ, ille Doctor, qui, vt ait Christus, ex suo thesauro & nouas & veteres opes, tot, tantásque, quot quantásque mirantur omnes in uno quodam mortali homine esse potuisse, deprompsit? Quem vos, quanquam natio ne Italum, & propter nomen Christi patria extorrem, tanta tamen benevolentia prosecuti estis, vt ille moriendo apud vos vestrū ciuē se velle esse testaretur. Quantus, qualisque vir, quàm perpetuus Dei athleta, quàm ἀληθινός, & plusquàm Herculea Orthodoxæ doctrinæ αποκτις, Iosias Simlerus, quàm in omni cognitionis genere excellens? Cuius facies adhuc hæret in hominum oculis: libri vero tum Theologici, tum historici ab eo doctissimè cōscripti, infinitam viri eruditionem continent, nunquānque morientur. Quid vero priores illos Ecclesiæ, & scholæ vestræ Doctores, Leonem Iudæ? Quid Conradū Pellicanum? Quid omniscium illum Conradum Gesnerum? Quid Ioannem

Vol-

E P I S T O L A.

Vvolphium? Quid Hallerum? quid denique ceteros omnes coimmemorem, quorum non tantum vita sancta, & doctrina singularis fuit: sed etiam est, vigetque perpetua in piorum animis memoria? De vobis autem, Fratres charissimi, qui adhuc viuitis, parcius loquor. Hoc tamen vnum, vere quidem, atque citra omnem etiam hominum vobis inimicissimorum, ut opinor, inuidiam, dicam, Vos neque à felicissimis illis Maiorum vestrorum vestigijs deflexisse: neque minorem hoc nostro seculo apudpios mortales, & ecclesias esse vestram autoritatem, quam olim illorum parentum vestrorum apud suę ætatis homines fuit. Id quod & vester in Dei regnum zelus, & multa solidè eruditionis vestre monumenta, que extant, efficiunt, vobisque conciliant. Quis enim vel Rod. Gualtheri, vel Ludo. Lauateri, eruditissimas tum in sacram Scripturam, tum de alijs rebus commentationes non legit? Quis à G. Stuckio non modò que habet iam parata efflagitat, sed maiora etiam in dies non expectat? Taceo de ceteris, quando ne hos quidem ipsos etiam nominare sinit illorum pudor. Atque hec cum ita sint, quis me iustissi-

E P I S T O L A.

mas huius operis vobis dedicandi causas  
habuisse non fatebitur? Sed tertia quoque  
ratio accessit, quod quanquam his omni-  
bus (quae istis libris continentur) domi, ip-  
sique per vos omnino abundatis, ut nihil  
fuerit hac mea scriptione opus: tamen ut  
quantus sit fueritque semper, atque etiam,  
Dei gratia, hodie maneat vestra nostrae  
que Ecclesiae, imo etiam omnium Galli-  
canarum, cum vobis in pura doctrina con-  
sensus, appareat, haec ipsa qua in Gallia  
docebamus, ad vos mittere volui. Hanc  
autem animorum cōfessionem tanto ma-  
gis necessariam esse p̄ij omnes intelligūt,  
quanto plures & infestiores in dies hostes  
nobis astutus ille Ecclesiarum Dei calum-  
niator Satā suscitat. Nam, ut recte Theodo-  
ritus, ἐργάζεται τὸ νομὸν φερνίματος Βε-  
λαιοτέρας εἰπεῖν. Quamobrem cum huius  
mei munusculi vobis offerendi rationes  
habeatis, ut pro vestra summa æquitate,  
& vestro in me amore, equi bonique, hoc,  
quicquid est mei erga vos animi, consula-  
tis, obsecro: benignè accipiatis, & certis-  
simum meæ erga vos vniuersos & singu-  
los obseruantiae μηνύσων illud esse sta-  
tuatis. Quod si feceritis, abundè mihi vi-  
debor meę operę & laboris fructum per-  
cepisse.

E P I S T O L A.

cepisse. Accipietis autem tanquam Colossi, vt habet prouerbium vetus, id est, maioris alicuius operę, si quidem stylo indulgere voluisse, fragmenta: sed opus contraxi, sumque in eo breuitate, quanta potui maxima usus. Nam satis mihi fuit in quoque Decalogi praecepto locos Communes, qui dicuntur, tantum attigisse, vel duntaxat indicasse. Quod autem ad Iuris Diuini & Romani collationem attinet, in ea compendio quoque maiore sum usus, quod nuper apud vos degentis P. Pithæi I.C. opera, Mosaicarum & Romanarum legum consensus editus est: elegans sanè libellus, sed magis iam ob ipsius Pithæi eruditissimi viri notas & utilis & legēdus. Accedebat quoque & illud, quod sciam V. Clarissimum, & cum in omni literarum genere singularem, tum verò in Iuris Ciuilis & Romani explicatione ασύμβλητον, Frāciscum illum Hottomanum quidam meditari, quod huius collationis plenam absolutamque tractationem continet. Nos autem, quantum ad instituti nostri rationem satis videbatur, eam persecuti atque complexi sumus. Valete V.Cl. & fratres mihi in Christo venerandi. Dominus Deus, vobis, vestrisque la-

E P I S T O L A.

boribus in perpetuum benedicat, & vestram Ecclesiam fauore suo perpetuo in Christo prosequatur, sub alarum suarum umbra vos Pater ille misericordiarum protegat. Denique Academiam vestram optimarum artium, & sacrarum Literarum domicilium, & bonorum virorum hospitium semper esse velit. Datum Cal. Martiis, anno temporis ultimi, M. D.

LXXVII.

V.Ch.deditissimus

L.Danatus.

